

Synodo Dordracenâ nomine absolutissimæ gratiæ dogmatizarunt, quod nempe antecederet ad decretum ab omni respectu, non consequenter, sit liberum.

X. Falsum est, & in gratiam Calvinianorum confictum, Lutherum absolutæ electionis fuisse patronum.

XI. Inscriptio in librum vitæ cum electione non æquipollet, cum fidei vitâ vivant & *πεποινησι*, qui non sunt electi. Hab. II. 4.

XII. Gentilium infantes electos esse, probabile non est. Marc. XVI. 16. Joh. III. 5.

Disp. XX.

De

Reprobatione.

I.

Decretum reprobationis positivæ absolutum verè horribile est, dicente Calvino.

II. Nec minus in justitiam pariter & misericordiam DEI infinitam, suppositâ infiniti pretii satisfactione Christi, iniquum est Decretum præteritionis, seu reprobationis negativæ.

III. Quod dum mitigare quidam è Calvinii Scholâ anuntiantur, dicendo, reprobos præteritos esse ob novam adjunctam culpam, repulsam nempe Evangelii, voluntate signi, non efficaci, ipsis oblatis, dum DEum ab injustitia & crudelitate liberare conantur, fœdæ eundem hypocrisis involvunt.

IV. Permissio lapsus, ex plerorumq; Calvinianorum sententia æstimata, quibus ratione decreti Divini, quo & causam rerum omnium & eventum decernit, nihil est contingens, omnia necessaria, fortissima & inevitabilis est lapsus procuratio.

V. Supralapsarismus à Dordracenis est rejectus. Marcius. Non est rejectus, sed desertus. Sam. Andreae. Uterque verè.

VI. Conficta ex humano ingenio citra omnem Scripturæ auctoritatem, ex mero Syncretismi studio, Ambr. Catherini